



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Christiani Mayer E Societate Iesv, Diarivm
Meditationvm, De Præcipvis Vitæ Christi mysteriis**

Mayer, Christian

Coloniæ Agrippinæ, 1635

5. De 2. motiuo Incarnationis, quod est hominum redemptio, & à peccatis
pœnisque peccatorum liberatio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60091](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60091)

V.
De secundo motiui Incarnationis, quod
est hominum redemptio, & à peccatis
pœnisquē peccatorum libe-
ratio.

1. **F**ilius Dei, cum Patre, & sancto Spi-
ritu, præuidens ab æterno Ad peccatum, illiusq; in omnes posteros trās-
fusionem, simulque omnium & singu-
lorum hominum, ex corruptâ stirpe vs-
que ad finem sæculi progignendorum
peccata liberè committenda tot, tam
multiplicia, tam enormia, tam horren-
da; decreuit ab æterno ex voluntate e-
iusdem Patris, & Spiritus sancti, in natu-
ra humana passibili & mortali assumpta,
ex rigore iustitiæ pro ijs omnibus satis-
facere, tam ærumnosum triginta trium
& amplius annorum exilium subeundo,
tam mira faciendo, tam dira patiendo,
tam atrocem mortem sustinendo,
prout in tempore factum credimus.
O quanta peccatorum nostrorum gra-
uitas & malitia! quanta nostra stu-
peditas & proteruitas! Rectè D. Bernard.
*Ex consideratione remedij, periculi mei
astimo quantitatem. Nesciebam, sa-
nus mihi videbar, & ecce mittitur Vir-
ginis Filius, Filius Dei altissimi, & iubetur
occi-*

*Ser. 3. de
nat. Do-
mini.*

occidi, ut vulneribus meis pretioso sanguine
balsamo medeatur. Agnosce o homo
quam graua sint vulnera, pro quibus
accesse est Dominum Christum vulne-
rari. Si non essent hæc ad mortem, &
mortem sempiternam, nunquam pro
eorum remedio Filius Dei moreretur.
Quam ardens proindè zelus tibi conci-
piendus peccata expiandi præterita, ca-
uendi futura, compensandi commissa
per bona opera?

II. Præuidens item grauissima vulne-
ra per Adæ præuaricationem posteris
inflicta, ignorantiam in intellectu, ma-
litiã in voluntate, concupiscentiam
in appetitu concupiscibili, & propensi-
onem ad malum, infirmitatem in irasci-
bili, & auersionem à bono: item pœnas
ærumnasque ex culpâ originali, & actu-
alibus singulorum peccatis promanare
solitas, uti sunt pronior lapsus in plura
& grauiora peccata, peccandi consue-
tudo, in peccatis obduratio, impœni-
tentia, desperatio, perpetuus conscientie
remorsus, aliasque corporales misere-
rias penè innumeras, uti sunt morbi,
bella, fames, mors, misericordiã motus
ab his quoque nos liberare ab æterno
decreuit, idonea remedia prouidendo,
nostrasque miseras absque peccato in-
se

se expiandas suscipiendo . Gratitude,
Amor.

III. Præuidens similiter omnes pœnas damni & sensus singulis singulorum peccatis debitas , quas æternum essent subituri, commiseratione tactus statuit eas quoque voluntarijs in passibili carne assumptâ pœnis expiare, idoneaque media eas euadendi promereri. Quam ingens misericordia Dei & Saluatoris nostri, quâ ab æterno decreuit ab æternis cruciatibus nos tam misericorditer liberare. Quam verè dixit regius vates:
Misericordia Domini ab æterno in æternum Ps. 102.
super timentes eum ! Affectus gratitudinis, amoris, zeli satisfaciendi in hac vitâ diuinæ iustitiæ per opera supererogationis.

De tertio motiuo incarnati Verbi, quod VI.
est hominum instructio, atque ad
imitationem sui prouoca-
tio.

Filius Dei, cum præsciret homines originali labe corruptos, pronos fore ad omne malum ab adolescentia sua, tardos verò ad omne bonum, atque ita excæcandos quoad intellectum, deprauandosque quoad voluntatem, vt nec quæ agenda